



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 61. Duodecim articulorum examen in Synodo inchoatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI  
A.C. 1562.

quæ hac in re postea in Concilio fuerunt gesta, in Historiæ progressu perspicimus, ubi de adventu Franciæ Legatorum, qui die vigesima sexta Martii excepti fuerant, sermo occurret.

## §. LXI.

*Duodecim articulorum examen in Synodo inchoatum.*

*Pallav. l. 16. c. 4. n. 1. & seq. Sarpinus l. 6. p. 468. Spond. annal. ad hunc. ann. n. 20.*

Interea Legati, usquedum Sessio ad diem decimum quartum ejusdem Mensis indicta celebraretur, Tridenti assiduo labore suas Congregationes habere pergebant, atque in illis, quæ a septima usque ad decimam octavam Aprilis diem cogebantur, præcipue agebatur de duodecim illis articulis, quos Legati in conventu die undecima Martii habito proposuerant: cum autem horum primus, qui Episcoporum residentiam concernebat, longum temporis spatium sibi vendicaret, ea res pluribus contentionibus erat obnoxia; etiamsi enim hæc quæstio jamjam in Synodo sub Paulo III. fuisset agitata, nihilominus Patrum sententiæ in hoc discrepabant, an decidendum esset, quod residendi necessitas ex divinorum jure descendat; nam nonnulli censebant, quod tunc, si residendi obliga-  
tio

tio imponeretur, summi Pontifices (\*) præpedirentur, ne illos ab Ecclesiis suis sejungere, atque ad exercenda supremi in Ecclesia Magistratus munia, aliaque Curia suæ officia assumere possent, quin potius pro officii sui munere ipsimet Episcopos juxta Sacrorum Canonum præcepta ad residendum poenis, ac censuris compellere tenerentur. Alii ex adverso arbitrabantur, supervacaneum esse ejusmodi examen, cum nullo modo, sive hæc residendi lex divini, vel Ecclesiastici juris sit, dubitari valeat, eam esse præceptam, atque oppido necessariam, proinde deliberandum potius de ratione, qua observetur præceptum, quam unde illius origo descendat.

## §. LXII.

*Hierosolymitani Patriarchæ sententia.*

Hæc eadem quæstio acrius adhuc agi- *Sarpus*  
tabatur in primo conventu gene- *p. 469.*  
rali die septima Aprilis post Paschatis  
festa celebrato, in quo Patrum nonnulli  
hac super re adeo prolixè differebant,  
ut ceteris nonnisi exiguum suam men-  
tem declarandi spatium relinqueretur:

Hh 3

inter

(\*) *Utpote*, addit Pallavicinus, ex quo  
Continuator hæc deprompsit, *divini juris exe-*  
*cutores supremi.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.